

SECRETARIA BREVIUM

## 67.

**1708, studeni 26, Rim**

*Tajnik Kongregacije za širenje vjere izvješćuje da se može izdati naredba za izdavanje brevea o konsekraciji Luke Natalija, beogradskog biskupa.*

Dalla Segretaria di Propaganda 26. novembre 1708.

Essendosi benignamente compiaciuta la Santità di Nostro Signore ad insinuatione di questa Sacra Congregatione di aggratiare monsignore Luca Natale, eletto vescovo di Belgrado, delle facultà et indulto de potersi fare consecrare da un solo vescovo coll'assistenza di due sacerdoti secolari costituiti in dignità ecclesiastica, et in mancanza loro, di due religiosi; monsignore segretario ne porta a Vostra Signoria Illustrissima questo riverente cenno, accioche possa dare gl'ordini opportuni per la speditione del solito Breve e le fa devotissima riverenza. Monsignore Olivieri.

*ASV, Sec. Brev. vol. 2244, f. 12.*

## 68.

**1708, prosinac 7, Rim**

*Papa Klement XI. dopušta Luki Nataliju, izabranom beogradskom biskupu, da ga može za biskupa posvetiti samo jedan biskup uz asistenciju dvojice svjetovnih svećenika koji imaju naslov crkvenih dostojanstvenika.*

Dilecto filio Lucae Natali, electo Belgradensi. Clemens papa XI. Dilecte fili, salutem. Personam tuam nobis et Apostolicae sedi devotam, tuis exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quae ad tuae commoditatis augmentum cedere possunt. Cum itaque nos nuper Ecclesiae Belgradensi, certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutae, de persona tua nobis et venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate apostolica providerimus, teque illi in episcopum confecerimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Belgradensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. Et sicut pro parte tua Nobis deinde expositum fuit, tot episcopi in illis partibus sine gravi dispendio et incommodo convenire nequeant, quot pro impendendo tibi munere

consecrationis juxta sacrorum canonum dispositionem requiruntur. Cupivimus propterea opportune tibi in praemissis a nobis provideri et, ut infra, indulgeri, nos commoditati tuae paterno affectu consulere volentes, teque a quibusvis censentes supplicationibus tuo nomine nobis inclinati, tibi, ut extra aeternam Urbem nostram a quocumque, quem malueris catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis, et in hoc illi assistentibus loco episcoporum duobus presbyteris in ecclesiastica dignitate constitutis, ac similes gratiam, et communionem habentibus, munus consecrationis peturum (?) suscipere, ipsique antistiti, ut illud tibi sic impendere, servata alias certarum super eodem munere tibi impendendi concessarum literarum forma et dispositione, libere et licite possitis, et valeatis respective, dicta auctoritate, tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus quo ad ea, quae praesentibus sunt contraria praesentibus nostris literis necnon Apostolicis, ac in conciliis etiam universalibus editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum (Romae apud) Sanctum Petrum, 7. Decembris 1708.

Pro Reverendo Luca Natale, electo Belgradensi – Indultum suscipiendi munus consecrationis extra Urbem ab uno episcopo cum assistentia duorum presbyterorum in ecclesiastica dignitate constitutorum.

*ASV, Sec. Brev. vol. 2244, f. 11rv.*

## 69.

**1708, prosinac 17, Rim**

*Dekret Kongregacije za širenje vjere kojim se odlučuje zamoliti od pape breve kojim će se Luka Natali imenovati beogradskim biskupom na isti način kako je imenovan i Matija Brnjaković 1675. godine. Breve je potreban jer nema potrebnih svjedoka, kako bi se proveo postupak o biskupu Luki i njegovoj biskupiji.*

Decretum Sacrae Congregationis generalis de Propaganda fide, habitae sub die 17. Decembris 1708.

Attenta difficultate conficiendi in curia processus super statu Ecclesiae Tauronensis et qualitatibus domini Lucae Natalis, sacerdotis saecularis ad eandem Ecclesiam electi, ob defectum testium alias necessariorum, Sacra Congregatio censuit supplicandum Sanctissimo, ut dignetur per breve apostolicum ad praefatam Ecclesiam eundem dominum Lucam Natalem

promovere, prout gestum fuit sub die 20. Decembris 1675. cum pie defuncto Matthia Bernacovich, ultimo ejusdem Ecclesiae episcopo.

Quam Sacrae Congregationis sententiam per reverendum patrem dominum Silvium de Cavaleriis Sanctissimo Domino Nostro relatam, Sanctitas Sua benigne approbavit et breve desuper necessarium expedire mandavit in audientia habita die et anno, quibus supra. – Silvius de Cavaleriis, secretarius.

Die 29. Decembris 1708.

Sanctissimus annuit juxta decretum.

*ASV, Sec. Brev. vol. 2246, ff. 10r–11v.*

## 70.

### 1709, siječanj 14, Rim

*Silvije de Cavalieri, tajnik Kongregacije za širenje vjere, moli da se izda breve kojim će papa Luka Natalija, beogradskog biskupa imenovati apostolskim vikarom za sve biskupije pod turskom vlašću između Drave, Save, Dunava i Tise sve do Temišvara.*

Monsignore Olivieri, segretario de Brevi.

Illustrissimo e Reverendissimo Signore, mio Padrone Osservantissimo! Essendosi benignamente compiaciuta la Santità di Nostro Signore ad insinuatione di questa Sacra Congregazione di deputare vicario apostolico di tutte le Chiese vacanti sotto il Dominio del Turco tra i Fiumi Dravo, Savo, Danubio e Tibisco sino a Temisvar durante la vacanza di dette Chiese il sacerdote don Luca Natale, eletto vescovo di Belgrado; sono a portarne a Vostra Signoria Illustrissima questa riverente notizia, affinché possa in esecuzione de supremi voleri di Sua Santità ordinare la spedizione del Breve opportuno, che si stara attenendo unitamente coll'altro della promotione dell'istesso soggetto alla sua Chiesa di Belgrado, e resto con baciare a Vostra Signoria Illustrissima riverentemente le mani. Dalla Propaganda, 14. gennaio 1709.

Di Vostra Signoria Illustrissima e Reverendissima divotissimo et obligatissimo servitore vero Silvio de Cavalieri.

*ASV, Sec. Brev. vol. 2246, f. 14.*

## 71.

*1709, siječanj 24, Rim*

*Papa Klement XI. na temelju dekreta Kongregacije za širenje vjere breveom potvrđuje Luku Natalija beogradskim biskupom.*

Dilecto filio Lucae Natali, presbytero saeculari, electo Belgradensi, Clemens papa XI. Dilecte fili, salutem. Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quod Ecclesiarum omnium regimini Divina dispositione praesidemus, fideliter exequi, adiuvante Domino, satagentes, solliciti corde reddimur, et solentes, ut cura de Ecclesiarum ipsarum regiminibus agitur committendis, tales eis in pastores praeficere studeamus, qui populum, suae curae creditum, sciant non solum doctrina verbi, sed etiam exemplo boni operis informare, et Ecclesias sibi commissas in statu pacifico et tranquillo velint et valeant, auctore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare. Sane Ecclesia Bellogradensis in Hungaria sub Turcarum ditone, cui bonae memoriae Matthaeus Bernacovich, ultimus illius episcopus, dum viveret praesidebat. Per obitum ipsius Matthaei episcopi, qui extra Romanam curiam debitum naturae persolvit, postoris solatio daestituta, Nos de spiritualibus Christifidelibus in illis partibus degentium necessitatibus paterna charitate solliciti ad felicem ejusdem Ecclesiae provisionem intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo ipsi Ecclesiae personam utilem et fructuosam, cum venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalibus negotiis propagandae fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te, qui presbyter saecularis et in aetate legitima constitutus, ac in sacro probatus ordine constitutus, et de legitimo matrimonio procreatus, aliisque omnibus qualitatibus ad id requisitis praeditus existis, et cui apud nos de vitae munditia, honestate morum, catholicae religionis zelo ac spiritualium providentia et temporalium circumspectione aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita consideratione pensatis, te a quibusvis censentes, eidem Ecclesiae Bellogradensi de persona tua nobis et fratribus nostris praedictis, ob tuorum exigentiam meritorum accepta, de fratrum eorumdem consilio auctoritate apostolica providemus, teque illi in episcopum praeficimus et pastorem, curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Bellogradensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo. In illo, qui dat gratias et largitur praemia, confidentes, quod dirigente Domino actus tuos, Ecclesia praefata Bellogradensis sub tuo felici gubernio regetur utiliter et prospere

dirigetur, ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementum. Jugum igitur Domini, tuis impositum humeris, prompta devotione suscipiens curam et administrationem praedictas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, ut Ecclesia ipsa gubernatori provideo et fructuoso administratori gaudeat se commissam, tibi que praeter aeternae retributionis praemium, nostram et Apostolicae Sedis benedictionem ac gratiam exinde uberius consequi merearis. Caeterum ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, tibi, ut a quocumque, quem malueris catholico antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, accitus et in hoc sibi assistentibus duobus, vel tribus aliis catholicis antistitibus, similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis suscipere libere et licite possis, ac eidem antistiti, ut receptis prius a te fidei catholicae professionem juxta articulos pridem a Sede praefata propositos ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito juramento munus praefatum tibi auctoritate nostra impendere valeat, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem et eadem auctoritate statuimus atque decernimus, quod nisi receptis a te per dictum antistitem juramento, et professione fidei huiusmodi dictus antistes munus praefatum tibi impendere et tu illud suscipere praesumpseritis, idem antistes a pontificalis officii exercitio, et tam tu, quam ipse a regimine et administratione, tam spiritualium, quam temporalium Ecclesiarum vestrarum suspensi sitis eo ipso. Praeterea volumus, ut professionis fidei a te sic emissae et juramento a te praestati formas in publicam et authenticam formam sine mendis redactas de verbo ad verbum per tuas patentes literas, tuo sigillo munitas, ad nos per proprium nuntium destinare procures. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus necnon praefatae Ecclesiae, et aliis quibusvis etiam statutis et consuetudinibus, privilegiis innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum (Romae apud) Sanctum Petrum, 24. Januarii 1709.

Pro Luca Natali, presbytero saeculari, provisio Ecclesiae Bellogradensis in Hungaria sub Turcarum ditione. Est juxta decretum Congregationis de Propaganda fide. Placet.

*ASV, Sec. Brev. vol. 2246, ff. 9rv et 12r.*

## 72.

*1709, siječanj 26, Rim*

*Breve Klementa XI. kojim Luku Natalija, izabranog beogradskog biskupa, imenuje apostolskim vikarom svih biskupija koje su pod turskom vlašću, koje nemaju svog biskupa, a na području su između rijeka Drave, Save, Dunava i Tise sve do Temišvara.*

Dilecto filio Lucae Natali, electo Bellogradensi, Clemens papa XI.

Dilecte fili, salutem. Christifidelium inter flumina Dravi, Savi, Danubii et Tibisci usque ad Temisvarium, regni Hungariae inhabitantium animarum saluti, pro commissi nobis pastoralis officii debito paterna charitate prospicere cupientes, ac de tua pietate, charitate, prudentia, industria, integritate, vigilantia et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis censantes, de venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae cardinalium negotiis, Propagandae fidei praepositorum consilio, te vicarium apostolicum in Ecclesiis Hungariae sub dominio Turcarum, proprio pastore viduatis, intra tamen confines supra expressos consistentes, auctoritate apostolica tenore praesentium ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum constituimus et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum cardinalium. Mandantes propterea eisdem Christifidelibus in virtute sanctae oboedientiae, ut te ad demandatum tibi per presentes vicariatus apostolici officium, illiusque liberum exercitium juxta earumdem tenorem praesentium recipiant et admittant, tibi que in omnibus ad idem officium spectantibus faveant, paveant et assistant respective, ac tua salubria monita et mandata humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles ratam habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus apostolicis ac in universalibus, provincialibus et synodalibus conciliis editis, generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, necnon quatenus opus sit dictarum Ecclesiarum etiam statutis et consuetudinibus, privilegiis innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque. Datum (Romae apud) Sanctum Petrum 26. Januarii 1709.

Pro Luca Natale, electo Bellogradensi, deputatio in vicarium apostolicum in Ecclesiis Hungariae sub dominio Turcarum, proprio pastore viduatis, inter flumina (Dravi), Savi, Danubii et Tibisci usque ad Temisvarium consistetibus. Est ad S.V. et Sedis Apostolicae beneplacitum, juxta decretum

Congregationis propagandae fidei cum clausula praeservatoria auctoritatis dictae Congregationis.

*ASV, Sec. Brev. vol. 2246, f. 13rv.*

## 73.

*1773, srpanj 9, Rim*

*Breve pape Klementa XIV. kojim trajno kanonski ujedinjuje biskupije Bosansku i Srijemsku.*

Clemens papa XIV, ad perpetuam rei memoriam. Universi orbis Ecclesii. Eo disponente, qui cunctis imperat et cui omnia obediunt, meritis licet imparibus praesidentes in omnes agri Domini partes oculos nostrae mentis, vigilis more pastoris intendimus intendentes quid Ecclesiarum ipsarum, praesertim cathedralium statui et decori maxime conveniat atque hoc quidem tanto liberalius promptiusque curandum censemus, quanto magis sublimium personarum vota id exposcunt et nos in Domino salubriter expedire cognoscimus. Sane pro parte charissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae, Hungariae apostolicae et Bohemiae reginae illustris, expositum nobis fuit, quod propter tenuitatem reddituum cathedralis ecclesiae Syrmienensis, ad quam, dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, ad eandem Mariam Theresiam reginam ratione regni Hungariae ex fundatione vel dotatione spectat et pertinet, quaequae per translationem bonae memoriae Joannis Baptistae Paxy, olim illius episcopi, ad Ecclesiam Zagradiensem de praesenti vacans existit, non solum canonicis et Capitulo caret, verum etiam seminario, episcopali residentia ac cathedrali quoque ecclesia penitus destituta reperitur. Ut autem tot tantisque Ecclesiae hujusmodi necessitatibus consultum sit, eadem Maria Theresia regina pro sua eximia, qua pollet pietate et singularis religionis zelo praefatam Ecclesiam Syrmienensem alteri finitimae Ecclesiae Bosnensi, ad quam, dum illa etiam pro tempore vacat, nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, ad ipsam Mariam Theresiam reginam ratione regni Hungariae hujusmodi ex fundatione vel dotatione aut privilegio apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, fore dignoscitur, quae insuper decenti episcopali domo atque cathedrali ecclesia ornata reperitur, apostolica auctoritate aequae principaliter et in perpetuum unire plurimum desiderat. Nos igitur omnibus mature perpensis ac laudabilibus enixisque ipsius Mariae Theresiae votis, quantum cum Do-



mino possumus, annuere volentes, supplicationibus eius nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, dictas Syrmensem et Bosnensem Ecclesias auctoritate apostolica tenore praesentium aequae principaliter et in perpetuum unimus, ita quod dictarum unitarum Ecclesiarum unus praesul et episcopus sit, dioeceses vero harum respective Ecclesiarum ut antea sic et in posterum perpetuis futuris temporibus separatae ac illesae remaneant et jurisdictioni venerabilis fratris archiepiscopi Colocensis uti suffraganae subiectae existant. Volumus autem, ut redditus quicumque ad dictam Ecclesiam Syrmensem spectantes (comprehensivus etiam iis, qui ad aerario regio persolvuntur), integre et absque ulla diminutione applicentur praefatae Ecclesiae Bosnensi, cuius propterea taxa respectu applicationis huiusmodi augeatur in florenis centum triginta tribus ac uno tertio, ad quos memorata Ecclesia Syrmensis taxata apparet, salvisque praeterea iuribus, si quae habet Ecclesia Quinqueecclesiensis, in posterum episcopum pro tempore Bosnensem etiam episcopum Syrmensem nuncupari debere, auctoritate et tenore praedictis praecipimus et mandamus. Decernentes ipsas praesertim litteras semper firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari ac ab eis respective inviolabiliter observari. Sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos ac Sanctae Romanae Ecclesiae cardinales, etiam de latere legatos ac Sedi s Apostolicae nuncios iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus nostris et cancellariae apostolicae regulis de iure quaesito non tollendo, ac de unionibus committendis ad partes, citatis quorum interest, ac Lateranensis concilii novissime celebrati, uniones perpetuas, nisi in casibus a iure permissis feri prohibentibus, nec non felicitis recordationis Benedicti papae XIV, praedecessoris nostri, super divisione materiarum aliisque quibusvis apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus dictarumque Ecclesiarum iuramento, confirmatione apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris apostolicis in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum derogatione, de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso et forma in illis tradita observata exprimerentur et insererentur,

praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem sub annulo piscatoris, die IX. Julii MDCCLXXIII, pontificatus nostri anno quinto.

Lit.: F. Herman, Sjedinenje biskupija bosansko-đakovačke i srijemske, *Bogoslovska smotra* 29(1941) 2-3, str. 5-8.